

**DIE XXIII. FEBRUARII**

IN FESTO

**S. PETRI DAMIANI,**

CARDINALIS, EPISCOPI OSTIENSIS

ET ECCL. DOCT.

DUPLEX.

In utrisque vesperis aña. *O Doctor.*  
mer. supr.

IN I. NOCTURNO.  
Lect. de Script.  
occur. In Quadrag.  
*Fidelis* serm. de  
Com.

Oratio.

**C**oncede nos quæsumus Deus B. Petri Conf. tui, atque Pontif. monita, et exempla sectari; ut per terrestrium rerum contemptum, æterna gaudia consequamur. Per Dominum. etc.

IN II. NOCTURNO.

**P**etrus Ravennæ honestis Parentibus natus, adhuc lactens à Matre numerosæ prolis pertæsa adjicitur, sed domesticæ Mulie-

ris opera semivivus exceptus, ac recreatus, Genitrici ad humanitatis sensum revocatæ redditur. Utroque orbatus Parente, tamquam vile mancipium sub aspera Fratris tutela duram servitutem exercuit. Religionis in Deum, ac pietatis erga Patrem egregium tunc specimen dedit; inventum siquidem forte nummum, non propriæ inediæ sublevandæ, sed Sacerdoti, qui divinum Sacrificium ad illius expiationem offerret, erogavit. A Damiano Fratre, a quo, uti fertur, cog- nomentum accepit, ejus cura litteris eruditur, in quibus brevi tantum profecit, ut Magistris admirationi esset. Cum autem liberalibus scientiis floreret, et nomine, eas cum laude docuit. Interim, ut Corpus rationi subderet, sub mollibus vestibus cilicum adhibuit, jejuniis, vigiliis, et orationibus solerter insistens. Calente juventa, dum carnis stimulis acriter urgeatur, insultantium libidinum faces rigentibus fluvii mersus aquis noctu extinguebat; tum venerabila quæque

loca obire, totumque Psaltherium recitare consueverat. Opera assidua Pauperes levabat, quibus freqüenter pastis convivio, propriis ipse manibus ministrabat.

**P**LECTIO V.  
Perficiendæ magis vitæ causa in Avellanensi Eugubinæ Dioecesis Cœnobio Ordini Monachorum Sanctæ Crucis Fontis Avellanæ à B. Ludulpho S. Romual. discip. fundato nomen, dedit. Non ita multo post in Monasterium Pomposianum, mox in Cænobium S. Vincen-

tii Petrae Pertusæ ab Abbatे suo missus, utrumque Asceterium verbo sacro, præclaris institutionibus et moribus excoluit. Ad suos revocatus post Præsidis obitum Avellanitarum Familiæ præficitur, quam novis variis, in Locis extractis Domiciliis, et sanctissimis institutis ita auxit, ut alter ejus Ordinis Parens, ac prœcipuum ornamentum jure sit habitus. Salutarem Petri sollicitudinem alia quoque diversi instituti Cænobia, Canonicorum conventus, et Populi sunt experti.

Urbinati Diœcesi non uno nomine profuit: Theuzoni Episcopo in causa gravissima assedit, ipsumque in recte administrando Episcopatu consilio, et opera juvit. Divinorum contemplatione, corporis inacerationibus, cæterisque spectatæ Sanctimoniae exemplis excelluit His matut Stephanus IX. Pontifex Maximus eum, licet invitum, et reluctantem Sanctæ Romane Ecclæ Cardinalem creavit, et Ostiensem Episcopum, quas Petrus dignitates splendissimis virtutibus et consentaneis Episcopali ministerio operibus gessit.

## LECTIO VI.

**D**ifficillimo tempore Romanæ Ecclesiæ, Summisque Pontificibus doctrina, Legationibus, aliisque suspectis laboribus, mirifice adfuit. Adversus Nicolaitarum, et Simoniacam Haereses ad mortem usque strenue decertavit. Hujusmodi depulsi malis, Mediolannensem Ecclæ Romanae conciliavit. Benedicto et Cadaloo falsis Pontificibus fortiter restitit. Henricum quar-

tum Germaniae Regem ab iniquo Uxorius divortio deterruit; Ravennates ad debita Romano Pontifici obsequia revocatos sacris restituit. Canonicos Veliternos ad sanctioris vitae leges composuit. In Provincia præsertim Urbinate vix ulla fuit Episcopalis Ecclesia de qua Petrus non sit benemeritus; Eugubinam, quam aliquando creditam habuit, multis levavit in commodis; alios alibi quando oportuit, perinde curavit, ac suæ essent tutelæ commissæ. Cardinalatu, et Episco-

pali dignate depositis, nihil de pristina juvandi Proximos sedulitate remisit. Jejunium sextae feriae in honorem S. Crucis Jesu-Christi, horas Beatae Dei Genitricis preces, ejusque die Sabbato cultum propagavit. Inferendae quoque sibi verberationis morem ad patratorum scelerum expiationem provexit. Demum sanctitate, doctrina, miraculis et preclaré actis illustris, dum ē Ravennate Legatione rediret, Faventie octavo Calendas Martii migravit ad Christum. Ejus Cor-

pus ibidem apud Cistercienses multis miraculis clarum freqüenti Populorum veneratione colitur. Ipsum Fa- ventini non semel in præsenti discri- mine propitium ex- perti Patronum apud Deum delege- runt: Leo vero Duodecimus Pontifex Maximus Officium, Missamque in ejus honorem tamquam Confessoris Pontifi- cis, quae aliquibus in Dioecesibus at- que in ordine Camaldulensem jam celerabantur, ex Sacrorum Ritum Congregationis Consulto, addita Doctoris qualitate ad universam ex- tendit Ecclesiam.

## IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evan- gelium *Vos estis sal terræ de Com. Doct. Missa In me- dio Ecclesiæ. I. or. pr. Cr.*

## URBIS, ET ORBIS.

*Providentissimus Deus, qui electam suam Spon- sam Ecclesiam super Apostolorum, et Prophetarum fundamentum posuit, eamque summo angulari la- pidi Christo Iesu innixam voluit, sapientissimo ca- vit consilio, ut ad illius præsidium jugiter egregii, sanctique vigilarent Pastores, qui non modo subli- mioris virtutis exemplo fidelinm Ecclesiæ filiorum mores ad justitiam pietatemque celebres eosdem in-*

Fidei veritate consolidarent. Hos propterea Divinus præceptor Sul Terræ, Mundique Lumen nuncupavit, qui non vivæ tantum vocis officio, cæterorum Pastorum instar sibi commissam plebem, sed cunctos Christi fideles omniumque sæculorum posteritatem conscriptis Libris sapientia et doctrina refertis, etiam extincti erudire non cessant. Quos inter eminet etiam S. PETRUS DAMIANUS ab ia. me. Stephano IX. alias X. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, et Ostiensis Episcopus renunciatus, qui Sæculo XI. Dei Ecclesiam meritis, et doctrinis illuminavit, designatus idcirco Scriptorum elogio Vir et sanctitate et doctrina per sua tempora clarus. Hujus porro sanctissimi Viri de universa Ecclesia tot nominitus optime meriti nondum extensem suisse Festum per ipsam universalem Ecclesiam, dolentes Apostolicè Senatus Patres, ita Summum Ecclesiæ Hierarcham, et Caput Pontificem Maximum Leonem XII. per Postulatoriam Epistolam Sacri Cardinalium Collegit nomine deprecati sunt, ut ex Sacrorum Rituum Congregationis Consulto ejusdem S. Petri Damiani Festum celebrari præcipiat universo in Ecclesia septimo Kalendas Martii cum Officio, et Missa de Communi Doctorum, necnon cum Lectionibus, et Oratione propriis jam pro aliquibus Locis adprobatis. Qua Postulatoria uno cum Animadversionibus R. P. D. Virgilii Pescetelli Sanctæ Fidei Promotoris, et Advocati ac Procuratoris Respcionibus diligentermissis in ordinario Sacrorum Rituum Cœtu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto delata, Emi. et Rmi. Patres Sacris Ritibus tuendis præpositi, audita relatione Emi., et Rmi. Domini Cardinalis Iulij Maria De-Somalea Episcopi Ostiensis, et Veliterni Ponentis, eidemque Congregacioni Præfecti, momentis omnibus hinc inde allatis sedulo liberatis, maturaque discussis, unanimi consensu rescribendum censuerunt. — Consulendum SSmo. pro gratia. — Die 27 Septembbris 1828.

*Facta autem de præmissis omnibus et singulis  
SS. Domino Nostro Leonis XII. Pont. Max. per  
me infrascriptum ejusdem Sacræ Congregationis Se-  
cretarium relatione, Sanctitas Sua in omnibus an-  
nuendo, Sacræ Congregationis Rescriptum adprobavit  
et confirmavit, ac S. Petrum Damianum Doctorum Al-  
bo recensuit, ejusque Officium sub ritu dup. min. cum  
Lectionibus primi Nocturni de Scriptura instar con-  
cessionis factæ Clero Ravennaten. de Anno 1723 ad  
universam extendit Ecclesiam, ac desuper Generale De-  
cretum Urbis, et Orbis expediri præcepit. Kalendas  
Octob. ejusdem anni 1828.*

**ILLERDÆ:**

**IN OFFICINA VIDUÆ COROMINAS TYP.**

**ANNO MDCCCXXXV.**